DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

RABIE CANINA,

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI,

JOHANNIS GUILIELMI GARNIER,

Matheseos Magistri, Doctoris Philosophiæ Naturalis et Professoris ordinis Phys. Math.

NEC NON

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS,

IN

ACADEMIA GANDAVENSI,

RITE AC LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICE DEFENDET

THOMAS PACE, *Richmondo-Eboracensis*,

Die 23à Novembris 1822, horâ XIà.

GANDÆ, TYPIS *P. F. DE GOESIN-VERHAEGHE*, ACADEMIÆ TYPOGRAPHI,
VIA HOOGPOORTE N° 37.

1822.

Ex decreto facultatis 2° Martii 1818, opiniones in Dissertatione propositæ judicandæ sunt auctoribus Dissertationis propriæ, et a facultate nec probatæ nec improbatæ sunt habendæ.



PRAECEPTORIBUS

CLARISSIMIS,

COMMILITONIBUS

IN

ACADEMIA GANDAVENSI,

NEC NON

AMICIS,

HOCCE OPUSCULUM CONSECRAT

Auctor.

Cavendum est ne incognita pro cognitis habeamus, iisque temere assentiamus, sed adhibeamus ad considerandas res et tempus et diligentiam.

Cic. *de Off.*

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

RABIE CANINA.

§ 1.

De nomine morbi et definitione.

RAbies Canina seu Hydrophobia Rabida, Belgice vocatur *Honds-dolheid*; Gallice *la Rage*; Anglice *Canine Madness.*

Rabies dicitur propter statum animalis furibundum quo multum agitatur: appellatur Rabies Canina quia, imprimis canibus valde est familiaris; subinde hæc animalia epidemice adoritur, et a quorum morsu hominibus impertiri solet; tandem vocatur Hydrophobia, quia symptoma satis mirandum, ut plurimum, exhibet, dum homines afficit malum, quod symptoma est aquæ metus et horror.

Morbum bene definire res est ardua et difficultatis plena, propter varias scriptorum opiniones, de hac re; minime tamen dubito quin

Hydrophobia Rabida inter morbos acutos sit habenda, sive brevi post causam admissam, sive longo temporis intervallo caput efferat, plerumque intra paucos dies periodos citissime decurrit suas; et quoniam admittit causam indolis peculiaris vel specificam, nihil est quod tamquam morbus simplex non sit adspiciendus.

Quum animus nobis sit in hac dissertatione agere de Hydrophobia Rabida, materiam sequente modo exponemus.

1°. Historia morbi tradetur.
2°. Expositio causarum, sedis, naturæ et viri.
3°. Diagnosis.
4°. Prognosis.
5°. Curatio.

§ 2.

De historia morbi.

Antequam morbi historiam tradamus, utile credimus admonere lectorem nos Hydrophobiam distinguere, in idiopathicam et symptomaticam; prior enim arguit causam semper specificam, id est, virus rabidum in vulnus morsu animalis destillatum, dum posterior, in quibusdam morbis, ut symptoma apparet, et de quo in diagnosi verba solummodo faciemus.

Quando morbus quidem est acutissimus et intra quatuor vel quinque dies periodos absolvit, tamen ut ejus descriptio clarior evadat, et symptomatum confusio vitetur, ipsum in tria stadia dividemus, quæ totidem incrementi morbi distincta sunt tempora (1).

(1) H. Boerhaave Aphr. Lovanii, 1752.

Ubi homo a cane rabido læditur, vulnus vario modo sese habet, pro ægri constitutione et mentis constantia, ratione partis affectæ plagæque magnitudinis: inflammatio quæ læsioni succedit, nullum futuri periculi criterium præ se fert, sed satis placide decurrit, et post leviorem vel aliquando nullam suppurationem brevi temporis lapsu vulnus sanatur (1). In hoc casu virus rabidum non est absorptum, sed in parte læsa quiete jacet, et homo post octo, viginti, quinetiam quadraginta et ultra dies, in loco dente tacto, nullum sentit dolorem; sed quando virus rabidum in actum ducitur, ingratam sensationem in ipsa plaga, in partibus vicinis nec non in gutture percipit (2): hæc sensatio quam in gutture experitur initio sæpe confunditur cum angina simplice, et idcirco malum, ut res non periculosa, negligitur. Interea temporis corpus languet, ipse ægrotans queritur de lassitudine spontanea; cibum et potus tum minime sapit, cunctarum rerum subeunt ipsum fastidia: ubi secum infortunium considerat, inquietus est, angitur animo, suspirat, horret; taciturnus, tristis et solitarius incedit; fugit hominum congressus; inquiete dormit, res somniat ominosas, timore plenus vel horrore perculsus expergefit: aspectu est truculentus; aliquando caligant oculi, sunt fixi; facies et totus corporis habitus squalidus, quæ mentis nec non systematis nervosi turbas testantur magnas: in aliis casibus aliquando satis tranquillus observatur, cum amicis de cane, de morsu, sibique satis obvio, placide tunc confabulatur: systema sanguineum hactenus parum, vel nullo modo, a statu naturali recedit: talia sunt symptomata morbi stadio observanda primo, et ultra duos ordinario dies non perstantia.

Secundo stadio, symptomata magis intenduntur, morbique facies mul-

---

(1) C. Sprengel, Inst. Pathol. Spec. Hygroph. Amstelodami, 1814.

(2) Sprengel, ut supra.

tum commutatur; spiritum æger male ducit; cervicibus dolet; in scrobiculo cordis magnum regnat incommodum; guttur ardorem, fauces siccitatem patiuntur: de siti intolerabili conqueritur, et sæpissime aquam vel alium liquorem ad sedandam sitim magnopere expetit, sed bibere frustra tentat, quia simul ac parvam liquoris copiam in os acceperit ipsamque in æsophagum deglutionis actione propellere conatur, motus tunc convulsivus pharyngis subito et tanta cum vi oritur ut ingestum liquorem expellat; et musculi respirationi dicati eodem tempore convellantur, summa nascitur anxietas et citissima evadit respiratio; hisce sese adjungunt pulsus frequentes, spastici et aliquando intermittentes. Alvus non exoneratur; urina nunc difficulter movetur, nunc magno cum dolore et molimine redditur, est modo tenuis et limpida, modo turbida et crassa: lingua exporrecta nil peculiare monstrat, sed plerumque rubet, vel etiam crustâ albidâ est obducta: ægri aspectus magis magisque a statu naturali recedit: oculi jam ardent: parum desipit, et dum morbus intenditur, non solum aquæ aspectus, sed cujusvis corporis etiam splendentis, eosdem effectus sortitur, et gravissima inducit symptomata; tunc faciei musculi in horrendas adeo rapiuntur convulsiones ut æger omnia potulenta perneget et horreat, quinimo, dum de hisce ab adstantibus sermo fit, multum turbatur animo et corpore, et etiam de bibendo minime fert loqui. Interea temporis vulnus aliquando consanescit, aliquando, ubi morbus jam patescit, cicatricula dolet, tumet aut ulceratur; labia ejus dehiscunt, proserpunt et invertuntur: cutis quoque vicina rubet et ardet; tela cellulosa fit spongiosa, manante ichore pravoque et fœtido; partes læsæ obstupescunt, resolvuntur, aut leviter convelluntur.

Hæc symptomata, variis intervallis et in aliquo modo paroxysmos æmulantia, per diem aut triginta sex horas ita pergere solent; at brevi

succedunt alia magis timenda quæ tertium formant stadium, et sine vitæ sufflaminatione non sæpius evanescunt. Accessus nunc perbene ordinati, nunc frequentiores et quoque diuturniores evadunt: validis artium convulsionibus miser adeo torquetur, ut tres vel quatuor viri robustissimi ipsum in lecto continere vix possint, quæ convulsiones ad musculos respiratorios, ventriculum, vesicam urinariam nec non ipsa genitalia extenduntur, quod facile demonstrant e tubo digestivo materiei fuscæ bile tinctæ expulsio, et emissio urinæ et spermatis involuntaria. Æstuat totum corpus, sudore viscido et tenaci perfusum. Æger vociferat, ejulat; dentibus frendit; lacerat vestimenta; mordet seipsum, et nisi cura adhibeatur, amicos quoque et adstantes incautos invadit, et tentat illos contundere pugnis. Delirium, quod hactenus intervalla lucida exceperat, nunc magis ad continuitatem vergit; cum amicis absentibus aliquando colloquitur; modo cantat; modo murmurat: vox rauca est, et quam optime canis latratum sæpissime edit: invitus exscreat mucum densum et tenacem: datis intervallis, respiratio brevissima et maxime anhela fit: subinde corpus etiam riget ac si tetano afficeretur: pulsus nunc citissimi et debiles, sed febre nullo modo laborat æger, aut rarissime; et si per breve tempus mente sana fruatur, tunc de periculo, illo furiente, omnes frequenter admonet; vult ut ipse sit securus, omnesque salvi sint. Rebus sic procedentibus, æger furore exhaustus, flens, mortem sæpius exoptat, et uno vel altero accessu, non raro iterato, e vivis rapitur, ni arte inhumana citius expellatur anima: hoc stadium ultra diei spatium vix unquam protrahitur. Totam hanc historiam rabidam confirmant auctores varii (1).

(1) Utrechtsch genootschap.
Boerhaave. Van Swieten. Sprengel.
Edinburg pratice of medicine.
Dictionnaire des sciences médicales, article *rage*.
Darwin, traduit par le Prof. Kluyskens.

§ 3.

De Autopsia Cadaverum.

Phænomena in cadaveribus Rabiei Caninæ demortuorum satis diversa sunt; in universum magnopere fœtent haud ita multo post mortem, cultro anatomico exploratis; sequentia tamen satis frequenter fuere observata; cerebri firmitas naturali major, meningum inflammatio, vasa cerebralia sanguine turgida: pulmones cruore infarcti adhærent pleuræ: mucosa pharyngis, laryngis et asperæ arteriæ membrana intense rubet: cor sanguine plenum; arteriæ latice vitali quoque plenæ; venis contra vacuis: æsophagus et ventriculus inflammati, hic præsertim gangræna aliquando obsessus et materia viridi distentus: vesicula fellea bile atra repleta: abdomen flatibus tumidum: sed glandulis salivariis intactis: hæc omnia rarissime adsunt in uno eodemque cadavere (1).

§ 4.

De causis morbi.

In hoc loco non alienum judicamus, antequam de causis diræ luis agatur, præmittere signa quæ indicant animal, quod morsum intulit, Rabie Canina esse obsessum. Signa incipientis rabiei sunt sequentia:

---

(1) Boerhaave. Van Swieten. Sprengel.

Canis imprimis tristis evadit, cibum potumque non multum appetit; parum latrat, vel potius murmurat: torvo vultu et morosus, non quærit socios, auribus dimissis; cauda sub ventrem jacta; oculi rubent, inflammantur; concitatus, in ignotos tunc irruit, illosque mordet; herum tamen adhuc non oblitus, vocem bene cognoscit, verbaque illius observat: progressu est incerto, vacillat, titubat: spiritus fit difficilis et valde anhelus; animal hiat; lingua plumbeo colore excerpto spumam emittit multam: cursus nunc celeres, nunc segnes, aliquando tortuosi: interea temporis canis est convulsus, nil edit, nil bibit; domum, herum, socios non amplius cognoscit; fugit, et frontibus adversis percutit omnia fugiendo: nunc gracilescit; mox furit: hunc statum vix per duos dies fert quin pereat animal (1).

Docet zoölogia, ut noster clarissimus Præceptor *Van Coetsem* in lectionibus exposuit, canes, feles, vulpes et lupos huic morbo satis esse obnoxios; in canibus vero morbum terribilem contagio sui generis propagatum, epidemice aliquando grassari, et præsertim in illis regionibus, ubi facies cœli subito et sæpius mutatur, summis caloribus æstivis regnantibus, ut quoque acri et sicco hyeme extante: dum hisce animalibus aquæ sufficiens quantitas denegatur: dum corpus longo cursu debilitatum et inedia protracta, excretiones naturales non locum habent; materia tunc indole prava in ore fixa hæret; saliva vitiat fauces, status denique morbosus oritur; cynanche incipit, et mox symptomata manifeste rabida infelix domant animal (2).

Dubium aliquando nascitur utrum canis fuerit rabiosus an solummodo furiosus, quando statim occiditur; sed constat a Cl. Petit, et quinetiam quingentis auctoribus, sequente modo rem elucidari posse, si

(1) Elém. de méd. pratiq. de Cullen, par Bosquillon, vol. 2. p. 461. Paris, 1787.
(2) Vide Van Swieten, Comment. in Aphor. Boerh. 1142. Lugd.-Bat., 1753.

gingivæ, dentes faucesque canis jamjam interfecti, frusto carnis elixæ perbelle fricantur, tunc ofella cani sano oblata, quam animalis ex ore rabidi cum clamore et ejulatu repudiabit, sed avide e contrario comedet; canes quoque bene valentes, testante Sennert, instinctu naturali ducti, canem cum signis maximi terroris semper fugiunt rabidum.

Causarum indagatio in Rabie Canina satis facile plerumque peragitur, dum ægritudo apparet omnibus propriis symptomatibus; res tamen difficilior evadit, ubi malum, sine causa cognita, juxta auctores medicos nascitur; at credimus idiopathicam a vulnere illato, in corpore humano vivo, ab animale rabido fere semper originem ducere hydrophobiam: non pauca tamen observata prostant in hominibus qui, sine causa nunc indicata, rabidi fuerunt facti: credimus certe in tali casu morbum, sic dictum rabidum, oriri a læsione facta ab animali ira valde commoto, et nihil aliud esse quam symptomaticum. Hoc morbo genus humanum sponte affici difficulter potest demonstrari, et præterea nulla certa exempla in historia medica adhuc exstant: princeps ergo conditio ad rabiem propagandam est vulnus, sive magnum, sive leve, natum a morsu canis, aliusve animalis rabidi.

Præter hanc conditionem, alia ab auctoribus in medium profertur, quâ malum sano traditur, et etiam sine vulnere illato. Sauvage recenset plures casus hujusmodi, e quibus constare videtur, salivam vel spumam animalis rabiosi per cutim transivisse integram, sed huic audacter contradicit Bosquillon (1). Unde fluit, hanc conditionem ipsi morbo producendo non semper sufficere; sed tamen credimus quod virus rabidum in saliva sit reconditum, quam ob rem hæc materia, non minus fortasse quam morsus, sit timenda; si saliva non sit venenata, certe viri est vehiculum rabidi (2).

---

(1) Cullen, Elem. Med. Pract., tom. 2. p. 460.
(2) Dictionnaire des sciences médicales, art. *rage*.

§ 5.

De sede, natura morbi, venenoque rabido.

Quod spectat ad sedem morbi, hæc difficulter certe demonstrari potest in canibus; latet forsan in organis respirationi et olfactui sacris, et præsertim in membrana mucosa narium cava et pulmones nec non bronchos investiente, quæ inflammata sæpius reperta fuit; at vero res aliter sese habet in homine, ubi eædem partes phlegmasia affectæ etiam observatæ fuere, et præter eas, nunc cerebrum, nunc ventriculus simili modo affectus invenitur, propter quod sedes ejus omnino est incerta, et forsan omnia usque ad nostrum tempus observata sint consideranda ut symptomata plerumque secundaria.

Natura morbi non minus est obscura, et hactenus in totum ignota; licet a quibusdam spasmodica, ab aliis nervosa, ab alteris inflammatoria habeatur, quæ ultima opinio forsan probabilior sit, juxta mentem nonnullorum, quandoquidem in cadaveribus rabiei caninæ demortuorum semper prægressæ inflammationis signa supersunt, et eatenus, si conjecturare liceat, procul dubio aliquid de inflammatione erit cogitandum.

Omnes fere medici virus rabidum adhuc considerant tamquam aliquid valde noxium et incognitum, sui generis. Est unicum homini cognitum virus quod permultas animantium species simili modo afficit, et propagatur. Omnia alia venena, post tempus fere determinatum, in corpus admissa, monstrant diros suos effectus; sed hocce modo citius, modo serius in hominem ingruit; aliquando in menses, etiam in annos occulte latet.

Quidam tamen medici, non solum in Anglia sed et etiam in Gallia (1), dicunt virus caninum rem esse vanam, sed morsus, quando animal est rabidum, evidenter contrarium probant: bella canina quotidiana etiam arguunt ejus existentiam. Canes irâ commoti se invicem mordent, et homines et animalia, membraque lacerant, in his casibus numquam generant rabiem neque statum illum furibundum de quo sermo fuit; clarum ergo nobis videtur virus existere. Natura ejus nos et omnes latet, modumque agendi. C. L. Hoffmann putat virus rabidum fluidum corrumpere nervosum; hancce opinionem libenter admittimus, quia in variis morbi stadiis, quam optime, ut credimus, multa exponit phænomena (2).

§ 6.

De diagnosi.

Diagnosis, multis in casibus, res minime foret incerta, si omnia symptomata jamjam enumerata sese manifestarent; sed aliquando ægri animus adeo perturbatur, ut verbis nulla fides habenda; in hoc casu, diagnosis satis difficilis evadit, et sine attento phænomenorum morbidorum examine statui non potest; est ergo res summi momenti, ut medicus rite perspecta habeat, et secum non solum diligenter reputet, omnia symptomata sic dicta rabida, sed et ea etiam aliorum morborum inter quos et rabiem caninam extat aliqua affinitas; ad hanc rem maxime pertinent hydrophobia symptomatica, mania, tetanos et delirium furibundum.

(1) Dictionn. des sciences méd.

(2) Utrecht. Genootsc., 8e deel. p. 163.

Quoad hydrophobiam symptomaticam, hæc oriri solet in quibusdam morbis acutis, et præsertim apparet horrore aquæ, dum reliqua symptomata modo notata nec observantur, neque continua serie sibi mutuo succedunt; diutius perstant quam in idiopathica, ut constat e casu qui legitur in Aphorismis Boerhaavii a Swietenio commentatis; lenior est et magis curabilis sicuti exposuit clariss. præcep. *Kluyskens* in lectionibus: frequentissime supervenit sive inflammationi ventriculi aut cerebri, atque ita sine difficultate a malo idiopathico dignoscitur, signis propriis morbum primarium concomitantibus.

Distinguitur a mania, quia in hoc morbo, horror aquæ vel cujusvis corporis splendentis numquam, vel rarissime, angit ægrotantem: accessuum intervallum lucidum majus. Mania enim est morbus periodicus et satis diu protrahitur; æger minus sæpe queritur de magna siti; inediæ et frigoris patientissimus; aliquando voracissimus, liquidorum cupidissimus: hydrophobus nil edere cupit, bibere nequit: maniacus per plures hebdomadas, aliquando etiam menses est pervigil: horrendis clamoribus totam replet viciniam, sibi aliisque studet nocere; omnino videtur exuisse rationem (1). Sedato furore, rerum omnium immemor vivit, est fatuus. Mania nonnunquam sanatur, vel in alium morbum transit: hydrophobia vere rabida fere semper mortem infert.

Neque confundi potest cum tetano, ratione indolis convulsionum morbum utrumque concomitantium: in tetano, convulsiones sunt sic dictæ tonicæ et occupant fere omnes musculos voluntarios tali modo, ut ægrotans statuæ marmoreæ adinstar rigeat; nunc enim caput scapulis, nunc mentum pectori annectitur; modo rectam et immobilem tetanos intendit cervicem. Organa loquelæ inservientia rigoris et immobilitatis

(1) Sprengel, Inst. Path. spec. de Mania.

musculorum adeo fiunt participia, ut omnino æger obmutescat. In Rabie Canina convelluntur pharynx, larynx musculique respiratorii, et morbo ad summum perveniente gradum, illi qui artus movent chronici sunt: causæ tetanum inferentes etiam sunt multum diversæ ab iis Rabiem Caninam producentibus.

A delirio furibundo cum febre conjuncto facile distinguitur morbus noster, quia delirium plerumque concomitatur valida meningum phlegmasia: est quoque morbus fere semper secundarius; cum ipso morbo præcipue ingreditur, eo increscente, etiam crescit, et evanescente, etiam evanescit, nulla intervalla offerens lucida: in hydrophobia idiopathica, res quidem prorsus diversæ habentur.

§ 7.

De prognosi.

Prognosis Rabiei Caninæ ut plurimum spe fluctuat angustissima: quo magis a morbi invasione temporis spatium effluxerit, eo magis in periculo stat æger; et tanto certius et propius instat mors, quanto malum fuerit magis evolutum. Interea temporis licet videatur nos posse non negare aliquos etiam paucissimos evasisse hydrophobos; tamen omnes artis principes deplorant, contra animalis rabidi morsum vix ullam habere certam prophylaxin (1): præterea, tristis experientia hactenus confirmare videtur, quod nullum, certa fide dignum, hominis Rabie Canina laborantis, aquamque paventis, sanati sit exemplum. Ante evolutionem morbi, nulla certa extant signa quæ doceant virus rabidum, ab homine

---

(1) Boerhaave.

susceptum, e corpore jam expulsum esse, vel saltem actionem ejus in œconomia animali omnino esse impeditam. Docent enim tristissima observata semina diræ luis satis diu in corpore humano vivo latere posse, nullo indicio sese manifestantia; dum interea temporis venenum subito redditur actuosum, et morbum maxime calamitosum producit; hinc clare patet quam difficilis, et eodem tempore periculosa, hujus morbi prognosis sit habenda, et cuncta hactenus remedia decantata futurum potius evertunt quam præsentem tollunt.

§ 8.

De Cura.

Cura est duplex, radicalis et prophylactica.

Quod spectat ad curam radicalem initio morbi, suadente Boerhaave, sanguinis missiones amplæ ex lato vulnere magni vasis ad animi deliquium usque repetitæ conveniunt, quod juxta mentem nostram princeps remedium haberi meretur, nihil obstante; et hoc ulterius confirmârunt observata facta a J. Schoolbred, praxin medicam in Calcutta exercente.

Præter venæ sectiones injici possunt clysmata ex aqua nitrosa cum paucillo aceti; si vorare possit homo, vomitorium est utilissimum (1); opiata tunc multum conveniunt et narcotica; victus sit tenuissimus; omnia acria et stimulantia vitentur.

In secundo vel tertio stadio, medicamentorum farrago decantata fuit a medicis quæ vario modo agunt, ut ita virus intra corpus susceptum foris

(1) Utrechtsche Genootschap, 8e deel. 1794.

emittatur: et, re vera, non possumus quin miremur, si perlustramus nomenclaturam remediorum, imo arcanorum quæ omnibus temporibus contra Rabiem Caninam fuerunt proposita, et ope quorum, ut docet observatio, rarissimi quidam casus recuperatæ sanitatis occurrunt: de Rabie Canina valet quod de pluribus aliis morbis dici potest; quo plura remedia contra quasdam ægritudines proponunt medici, eo minus curabiles eædem sint habendæ: quoad nos, læthali morbi indole perspecta, si remedia supra commendata, et primo stadio instituta, ipsum non tollunt, credimus reliqua omnia ne quidquam boni ægrotantibus allatura, quandoquidem specifica hactenus cognita non sunt, quæ morbum jam præsentem tollere queunt.


Cura prophylactica hodie certior esse videtur, et imprimis postulat ut quam citissime post vulnus rabido animale inflictum, pars læsa ferro candente profunde uratur cuspidato, et per aliquot hebdomadas, escharâ delapsâ, suppuratio protrahitur quantum fieri potest: quoad reliqua remedia hæc, pro re nata, a medico adhiberi possunt, ut v. g., nunc purgantia, nunc sudorifica, alias tonica ægris propinantur: suadent quidem medici balnea tepida vel frigida; tamen in hoc loco repetimus, combustionem partis læsæ in tempore peractam solum esse remedium quod, præcedente experientia medicorum et ægrotantium, fide dignum sit. Interea temporis animus ægri ab omni futuri eventus funesti metu liberatur. Juvabit ægrotanti, imprimis post ferri candentis admotionem, persuadere res ejus jam minus periculosas esse, et victum levem, vino atque omnibus stimulantibus certo tempore rejectis, curam effecturum.

Si vulnus magnum sit, et pars in qua hæret abscindi potest, in tali casu amputationem ejus commendamus: in hisce omnibus casibus non parca manu ferroque et igne utendum est; melius peccare excessu quam defectu, quandoquidem in extremis morbis extrema remedia sint tentanda.

Quod spectat ad vestimenta, aliaque objecta, quibus saliva animalis rabidi adhæsit, suadet prudentia, ut omnia, in quæ cadit suspicio, per ignem destruantur.

Denique, si aliquando virus rabidum vel saliva animalis rabidi, corpus nudum, nullo vulnere illato, solummodo tetigerit, minime sufficit materiam abluere; si absorptio vigeat, prudentis est hirudines applicare, cucurbitas, vesicantia et sanguinem scarificationibus demittere a parte veneno tacta. His dictis finem materiæ ponimus, et præceptoribus nostris optimis, propter egregia instituta, studiaque erga nos suavissima, grato animo nunc venerationem publice testamur nostram.

FINIS.



POSITIONES MEDICÆ.

1. Nervi optici, in homine, non decussantur.
2. Mercurialia in inflammationibus semper nocent.
3. In utero plerumque locum habet conceptio.
4. Cortex Peruvianus febres intermittentes, mercurius syphilitidem, psoram sulphur, semper domant.
5. Febris intermittens, paludosa, nosocomialis, flava, typhoïda, pestisque ex eodem fonte nascuntur.
6. Ureteres vias censemus præbere solas per quas in vesicam stillat urina.
7. Aqua pura super epulas optimus est homini potus.
8. Vinum bonum multis in morbis remedium est præstantissimum.
9. Dicere quod femur, aut humerum, aut membrum aliud quodcumque a sedibus suis sponte moveatur, nobis videtur forma loquendi vitiosa.
10. In vasis lymphaticis abdominalibus motum retrogradum admittimus fluidorum.
11. Ossa nunquam exfoliant.
12. Generationem spontaneam negamus.

Vidi, et nihil reperi quod legis Academicæ parag. 56 *adversetur,*
F. E. VERBEECK,
Fac. Med. h. t. Decanus.